

## **Disputatio physica, de magnete / [Christian Kuersner].**

### **Contributors**

Kuersner, Christian.  
Waldschmidt, Johann Jakob, 1644-1687.  
Philipps-Universität Marburg.

### **Publication/Creation**

Marburg : J.J. Kürsner, 1683.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/m6ts2bcd>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

6

DISPUTATIO  
PHYSICA,  
*De*

MAGNETE,

*Quam*

DEO clementer adjuvante

*Sub PRÆSIDIO*

JOHANNIS JACOBI

*Waldschmied /*

ARCHIATRI HASSIACI, PROFESSORIS  
MEDICINÆ PRIMARII, PHYSICES  
autem ORDINARII,

*defendendam suscipit*

D. 24. Februar. H. L. C.

CHRISTIANUS KÜRSNERUS,

Marburg. Hassus.



*MARBURGI CATTORVM,*

Typis JOHANNIS JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.  
ANNO M DC LXXXIII,

VIR O  
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO  
ac EXPERIENTISSIMO,  
DOMINO  
JOHANNI  
DOLÆO,  
MEDICINÆ DOCTORI,  
SERENISSIMI PRINCIPIS  
HASSIÆ ARCHIATRO,  
PRACTICO FELICISSIMO,  
Dn. Fautorि ac Cognato  
suo nunquam non honorando, colendo,

*Exercitii hujus Academici Inscriptione  
sua studia & se ipsum commendat*

CHRISTIANUS KÜRSNERUS.

## I. N. F.

## THESIS PRIMA.



Uem tenax olim natura diu absconditum tenuit Magnetismum , illum rara temporis nostri felicitate nunc è tenebris in lucem protrahi , & curiosorum conspectui exhiberi videmus. Is est, qui Philosophos tantoperè vexavit , ut in ejus causa indaganda etiam ipsi naturæ potius vim facere maluerint , quām cum SCALIGERO Philosophorum sui temporis facile principe ignorantiam profiteri. Verum enim verò cum nec limites ingenio ampliùs ponantur , nec quid in scientiarum pelago hoc tempore inaccessum vel vasta profunditate horrendum metuatur , nemo est qui neſciat , quām felicissimè omnes magnetis proprietates per causas evidentissimas explicentur , mitius enim nobiscum agitur , ut mutata rerum facie etiam profundissima è latebris suis eruantur , & ipsa naturæ abdita prudentioribus ob oculos ponantur ; Cū autem ipſe CARTESIUS in hoc de Magnete argumento nobis glaciem fregerit , ut ipsi etiam adversarii non inficiantur , vix quicquam ingeniosius ab eo excogitari potuisse , eum ceu Antesignanum eousq; alacriter sequimur , quo usque ejus hypotheses ipsis naturæ phœnomenis respondent. Tu Clementissime DEUS Spiritus Sancti Magnetismo nos exorna , ut & in Tui cognitionem , & causarum veritatem firmiori gressu ducamur:

II. Stupendas magnetis proprietates leviori penicillo adumbraturi ipsum prius describimus magnetem, quod sit lapis in ferri minera natus, multo ferro coque crudco adhuc & immaturo imprægnatus, quod ignis tortura facile in perfectum ferrum mutari potest.

III. Suam sortitus est denominationem vel à finitima Macedon æ regione *Magnesia*, juxta KIRCHERUM in mundo subterraneo, in qua uberior ejus proventus deprehenditur, vel à primo inventore, pastore quodam *Magnus* dicto, qui primus in Ida monte eum reperiisse fertur.

IV. Si interiora contemplemur, deprehendimus texturam summa admiratione dignam, quamvis enim ramenta illa ferrea plurimis particulis faxeis ita sint temperata, ut à se invicem dissocientur, magnes tamen immensum in prima statim infantia accepit pororum numerum ad invicem quidem parallelorum, sed non uno eodemque modo excavatorum, quibus ita perforatus & pervius est, ut per nonnullos effluvia tribus striis sulcata à polo septentrionali ad Austrum continuo volitantia excipiat, per alios verò in contrarium intortos alias etiam generis effuvia & in contrarias quoque partes excavata ab Austro ad Septentrionem tendentia admittat.

V. Hinc ejus proprietates meritò stupendas dicimus, inter quas tamen duæ potissimum præ aliis explicatu dignæ videntur, quarum prima est vis illa directrix, altera vis attractrix. Vis directrix est proprietas Magnetis, qua sibi relictus certum semper (nisi aliud quid obstat) acquirit situm, ita ut unâ sui parte Septentrionem versus, altera in oppositum & versus meridiem se convertat, vel potius convertatur. Duo equidem præcipua latera in Magnete notantur

notantur sibi invicem è diametro opposita, quorum unum  
vocant polum Borealem, alterum verò Australem, quæ  
tamen denominatio suum fundamentum non tam in situ  
habet versus Septentrionem vel versus Meridiem, quam  
potius in pororum similitudine, ita ut ille magnetis polus  
Septentrionem versus spectans Australis, oppositus verò  
in Meridiem spectans Borealis rectius appelletur, quod  
ex sequentibus magis patescet.

VI. Innotuit autem hæc inclinatio versus polos, dum  
curiosi magnetem levissimæ cymbæ vel naviculæ impo-  
suerunt, qui postmodum sui juris factus & sibi relictus cer-  
tuin statim cœpit occupare situm, ità ut unum latus versus  
Septentrionem, oppositam verò ejus partē versus Meri-  
diē converterit, quæ duo latera ceu duo puncta in quibus  
tum exspiratio tum inspiratio fit, ipsi Philosophi polos vo-  
cārunt, ita ut in utroque latere axis magnetis suis extremi-  
tatibus medium punctum teneat.

VII. Vis attractrix consistit in eo quando ferrum Ma-  
gneti in certa distantia admotum ad eum eosq; progre-  
ditur, donec ipsum contingat ipsiq; firmiter cohæreat; vel  
quando duo magnetes juxta se invicem positi in amplexus  
ruunt, leq; mutuo exosculantur, hæc enim cùm viderent  
Philosophi, persuasum habuerunt magneti inesse vim at-  
tractricem, qua tum ferrum tum alium etiam Magnetem  
debiliorem attrahere posset.

VIII. Non tamen existimandum est, quòd fortè so-  
lus magnes ejusmodi poros, quorum thesi 4. facta fuit  
mentio, possideat, cùm omnia corpora magnetica, qualia  
sunt terra interior & ferrum similes vel habeant, vel sal-  
tem prævio aliquamdiu certo aliquo situ, quod de ferro  
potissimum intellectum volo, acquirere possint. Evidem

ipsi terræ innumeri insunt meatus ejus axi parallelî, eodem modo nempe cochlearē instar excavati vel exsculpti, quorum quidam à polo Boreali versus Australē, alii modo contrario contorti ab Austro in Septentrionem spectant.

IX. Quibus præsuppositis jā omnis sublata erit difficultas, quis enim afferet, poros illos esse vacuos, cùm id implacet & naturæ legibus adversetur; vel eos cujusvis figuræ effluvia promiscue admittere, quod experientiæ refragatur. Quin potius concedendū erit meatus tales particulas non nisi similem in modum tribus striis excavata transmittere posse, quas in posterum striatas cum Philosopho nominabimus. Quæ itidem duplices sunt generis, h.e. non uno eodemq; modo sunt intortæ, unde illos meatus è quibus clabuntur nunquam ingrediuntur, nec eos per quos ingrediuntur egrediuntur, sed necesse est ut elapsæ in una parte corticem terræ vel magnetis superficiem transeant aut circumvolent, vel magneticum corpus tam diu trudant & eo usque impellant, donec liberiorem & faciliorrem ingressum denuò habere possint.

X. Veniunt autē originaliter hæ particulæ striatæ partim à cœli parte Boreali, partim ab ejusdem parte Australi, ita ut Boreales recta pergant à septentrione versus meridiē per medium terram, quæ elapsæ è polo opposito Australi per aërem circumfusum revertuntur versus septentrionē, dum eodem etiam tempore particulæ australes medium quoque terræ partem, sed per alterius generis poros transeunt ab Austro versus Septentrionem, & inde elapsæ motu vorticoso itidem redeunt extra terram versus polum Australē eum denuo ingressuræ, qui itus & redditus tamdiu continuabuntur, quamdiu leges naturæ vim suam ab ipso Deo concessam obtinebunt.

XI. Quod si obscurum videatur quomodo unum idemque corpus non solum poros diversimodè figuratos, sed etiā in contrarias planè partes spectantes habere possit, ingredere saltem oeconomicam animalem in microcosmo, hujusq; texturam paulo attentiùs contemplare , deprehendes si non statim à priori saltem à posteriori, non solum in ipsis visceribus in imo reconditis, sed & in ipsa cute cæteroquin cribri instar perforata innumeros quoq; poros tū intus foras tum foris intus spectantes , quorum existentiā tum effluvia per transpirationem emanantia, tum cardiacā aliaque medicamenta, foris adhibita & corpus permeantia satis superque testantur.

XII. Neq; etiam operā perdemus, vel absurdā admitemus principia, multo minūs ipsi intellectui vim inferemus, dum particulas striatas tali sub figura in rerum natura existere asserimus, cùm enim naturæ magneticæ effecta cum illis optimè concilientur, tamdiu meo quidem judicio firme suo stabunt talo, donec aliæ phœnomenis his explicandis magis accommodatae in scenam prodeant , priores de ponte dejiciant , & sua qua gaudent possessione exuant. Quod metuendum fore vix crediderim , quia subtilissimus CARTESIUS eatum generationem etiam à priori *Lib. 3. princip. philos. pag. 96. & seq.* accuratissimè descripsit, ibidem ostendens, quòd dum ramenta quædam materiæ primi elementi transeant per angusta spatia triangularia, quæ in medio triū globulorum secundi Elementi se mutuo tangentium reperiuntur, debere illa eandem induere figuram in sua latitudine & profunditate triangularem, ita ut gyrando transire possint per illos angustos meatus, figuram habentes triangulicuryilincei, qui ut iam dictum semper inter tres globu-

globulos secundi Elementi se mutuo tangentes reperiuntur. Quippe ex eo quod illæ particulæ sint oblongæ, ac motu celerissimo transieant inter istos globulos secundi Elementi, dum interim alio motu circa polos cœli rotantur, claram intelligitur, illarum strias in modum cochlearum debere esse intortas. Et sanè quomodo hoc contingat imò contingere debeat, quamvis id multi imprudenter rideant, facile tamen demonstrare possumus; si ad mentem & ductum *Celeberrimi DE VOLDER* concipiamus corpus aliquod oblongum moveri in se circa axem motu circulari, & simul etiam motu progressivo per lineam rectam, in eo autem progressu continuo premit contra ferrum aliquod, quod habeat vim secandi, quale ex. gr. possit esse lima; sic enim manifeste apparebit, debere spiram quandam in eo corpore describi. Si enim corpus illud tantum circa axem volveretur, dum lima illud ita searet, tunc circulum conficeret; Verum quia præter motum circularem etiam per lineam rectam movetur, necesse est, ut stria in cochleæ modum contorta excavetur: Quarum proinde in hisce particulis striatis tres necessario erunt, eo quod undique tribus globulis tanquam tribus limis arctissimè cingantur. Quoniam autem hæ particulæ ex partibus contrariis cœli veniunt, unæ scilicet ab Australi, aliæ à Boreali, dum interim totus vortex circa suum axem in unas & easdem partes movetur, manifestum quoque erit, debere eas in contrarias plane partes esse contortas; quamvis enim in utrisque sit idem motus circularis, quia tamen motus per lineam rectam alio planè modo est determinatus, & striæ quidem ab utroque hoc motu dependent, modus autem primario à motu recto, necesse est, ut contrario modo sint intortæ.

XIII. Sed ut ad propositū redeamus quæritur, quare magnes sive etiā acus magneti conficta semper una sui parte versus Septentrionem altera versus Meridiem spectet & quidem ita, ut si aliquod corpus magneticum in æquatore sit constitutum, neutra pars alteram deprimat? Cujus situs hanc damus rationem, quod particulæ striatæ è polo terræ Septentrionali venientes non nisi per Australē magnetis ingredi possint, unde eum tamdiu torquent, donec polo suo ipsorum ingressui accommodato Septentrionem versus inclinet, & quia particulæ hæ striatæ in æquatore æquali vi ab utraque terræ parte ad corpus magneticum accedunt, æqualis etiam est polorum magnetis directio. Verùm si magnes proprius polo terræ admoveatur, tunc quo magis approximabitur, eo magis versus illum inclinabit & una sui parte deprimetur, altera verò versus cœlum ergetur. Sed magna hujus inclinationis datur latitudo, variique circa hanc in diversis terræ partibus observantur recessus, de quibus Celeberrimus Archiater Hassiacus DN. DOLÆUS rara quædam non ita pridē ad me perscripsit: aliisque albo calculo notanda occurunt apud illustrem BOYLE, *Tr. de abstractis rerum qualitatibus*, & DU HAMEL *de latitudine Parisiensi*. Quod argumentū dignum censemus ut crebrioribus velitationibus exigitur, in quibus instituendis celeberrimus STURMIUS omnibus naturæ curiosis calcar novum subdidit in Epistola quadam invitatoria, quam actis Eruditorum Lipsiensibus insertam deprehendes. Interim elegantissima directionis magneticæ est divisio in simplicem & compositam, quam tradit REGIUS in *Philos. natural.* lib. 3. p. 247. Simplex est, cum corpus magneticum movendum simpliciter à corpore magne tico movente

versus aliquem polum dirigitur, eaque rursus est vel recta vel inclinata. Recta sit in polis & æquatore magnetici moventis. Inclinata verò sit extra illas lineas, & quo corpus magneticum polo magis approximatur, prout jam ante dictum, eo magis erigitur in perpendicularum, quod iconismo eleganter expressit prælaudatus REGIUS. Directio composita est cum à composita vi magneticum movendum dirigitur; sit hæc vel à duabus viribus magneticis, vel ab interposita lamina ferri, vel à vi magnetica & vi gravitatis.

XIV. Cùm autem inclinatio fiat maximè in illam partem, à qua venit exspiratio, quæque minimum iter facit, inde etiam facile conjicimus, quòd corpus magnetum potius versus illum polum inclinari debet, cui est proximus, quia propioris poli exhalationes erunt multo fortiores, hinc est, quare magnes sub Terræ polo Australi positus immineat polo suo Boreali Australi terræ, Australemque suum versus Zenith attollat, si verò sub polo Terræ Septentrionali jaceat, polo suo Australi imminebit Boreali terræ, suum Borealem autem versus Zenith attollet. Intelligenda autem hæc sunt de magnete in aëre pendulo, vel acu magnetica medio in aëre natante, nam in nautica pyxide res aliter evenit & acus magnetica quamcunque Horizontis partem in polo spectabit, quia motus materiæ magneticæ in locis accidit in lineis ad terræ superficiē perpendicularibus, hinc ea materia non minùs deflectit ad ingressum in acum horizontalem Septentrioni obversam, quam si spectaret omnē alium horizontis locum, unde referente ROHAULTI in sua phyl. part. 3. p.149. Naucleri Batavi, per Septentrionem novam viam in Indianam Orientalem inquirentes,

obſervarunt, ipsorum gnomones ad omnia Horizontis loca ſine diſcrimine ſpectaſſe, quo ipsi terræ polo erant propiores.

XV. Hæc egregiè iilustrantur à Clarissimo DE VOLDER, quando docendi cauſa polos magnetis diſtinguit in ſympatheticos & antipatheticos. Sympathetici nempe ſunt, quorum unus recipit particulas ſtriatas, quas alter emittit, & vice versa prior recipit, quas posterior emittit, tales ſunt ſemper polus Borealis unius & Australis alterius magnetis, nam particulae ſtriatæ per polum Borealem exēcuntes & ſuper ipſo magnete reflexæ revertuntur per polum Australēm & contra. Poli antipathetici ſunt, quorum unus non habet aptos meatus ad recipiendum particulas egredientes ab alio. Tales ſunt duo poli Boreales in duobus magnetibus, hi enim tantum patent iisdem particulis ſtriatis ingredientibus, iisdemq; egredientibus, non autem unus recipit, quod alter emittit. Cùm igitur magnetes ſe mutuo respiciunt ſecundum ſuos polos ſympatheticos, & liberè ſunt poſiti vel in aëre penduli accedunt ad ſe invicem, modo ſint intra ſphæras activitatis magneticæ. E quibus facile etiam deduci potest, quare ſympathetici poli tum terræ tum magnetis vel acus magneticæ ſe invicem tam liberè & facile ſpectent. Poli autem antipathetici ſe mutuo respicientes duobus in magnetibus, dummodo liberè ſint poſiti, ſe invicem fugiant, quoniam ſemper aliquod requiritur ſpatium, per quod materia ſtriatæ ex uno polo effluens & reflexa circa ſuperficiem magnetis regrediatur ad oppofitum polum, quæ cum non quadret in polum antipatheticum alterius magnetis, nee ſimiliter illa, quæ ex hujus polo egreditur quadret in polum illius, neceſſum eſt, ut iſta vi, qua ſingulæ particulae

striatæ egressæ è polo suorum magnetum, regrediantur versus oppositos polos, ipsos magnetes non nihil à se invicem repellant.

XVI. Per sphæram activitatis magneticæ, quam in thesi præcedenti allegavimus, intelligimus totum illud spatum magnetem ambiens, quodque particulæ striatæ ab utroq; polo venientes motu suo vorticoso describunt, qui vorticofus motus juxta Naturæ leges perficitur non obstante etiam illâ difficultate quam *Doctissimus MORUS* in suo *Enchiridio Metaphysico* p. m. 248. nobis facit, quasi hic motus non necessarius sit, sed ab altiori eoque incorporeo principio proficiscatur, cùm leges illæ Naturæ Nobilis principium jam dum præsupponant, non tollant deinde materia striata necessario & vi legis naturæ reflecti debeat, & motu vorticoso ab uno polo migrare versus aliū, unum enim ex his tribus contingere debet, quando materia striata è polo aliquo egreditur, ut vel proprium motum ad cœlum continuet, aut statim per eosdem meatus regrediatur, aut terræ superficiem transeat in planis diversorū meridianorū. Primum fieri nequit, quia vi nostrorum principiorum similis materia, sita inter sphærulas secundi elementi, perpetuo versus terram fluit & poros ingreditur. Secundum itidem impossibile est, quia pori intus foras spectantes semper transmittunt alias particulas striatas exitum molientes & priores magis propellentes, reliqui autem pori eas ob intorsionem in partem contrariam neutquam recipere possunt, hinc cogitur materia hæc magnetica tales circulares lineas describere. Quæ omnia valdè clara sunt & ipsi experientiæ adeò conformia, ut nemo è recentioribus Philosophis hoc in argumento Cartesii castra penitus deserere audeat. *Materia subtilis* inquit

Author

Author Philosophiæ Veteris & Novæ p. 550. quæ continuo ab uno polo ad alterum commeat, nec regredi potest, nec ulte-  
rius versus aërem aut cælum progredi; Non prius quidem: vel  
quod figuræ ipsius natura obstat, vel potius quod alia consimilis  
substantia; quæ per eas fibras terræ continenter emittitur,  
illius egressum impedit. Quare quæ per polum Septentrionalē  
subit, per Australē egreditur. Sic neq; versus cælum iter  
suum continuare potest, vel quod in aëre meatus sibi aptatos  
non offendat, vel quod alia quoque substantia magnetica ab ea  
cæli plaga in terram continenter profluat, quæ globulorum in-  
tervalla jam occupat. Quare reliquum est, ut magnetica illa  
profluvia circa telluris globum instar vorticū agantur, quæq;  
partes Septentrionales subiere, per astrales remeent.

XVII. Vidimus itaque quomodo vis directrix exer-  
ceatur, restat ut de vi attractrice ejusque vera causa pauca  
quoq; in medium proferamus. Scire autem velim, ferrum  
propemodū tales habere meatus, qui poris magnetis ipsi-  
usque terræ interioris respondent, quod si ferrum sphæram  
activitatis intret, tunc particulæ striatæ nactæ in ferro poros  
convenientes eos celeriter ingrediuntur, & expulso vel  
repulso omni aëre interjacente inter magnetem & ferrū  
per cuius poros minus commodè divagari poterant, effi-  
ciunt, ut duo hæc corpora magnetica se invicem conti-  
gant, quippe ex lege motus, qui semper fit in circulum &  
cum penetratio dimensionum non detur, aër retro cor-  
pora illa propulsus ea impellit, ut illud quod facilius mo-  
veri potest versus alteium accedat, ex quo patet nullam  
hic esse attractionem sed circumulsionem; quæ ipse  
PLATO olim agnovit, dicens apud GALENUM in Ti-  
mæo, magnetem non per attractionem sed per circum-  
ulsionem agere.

XVIII. In ipsa hac operatione ferrum magnetis ag-  
quirit naturam, ut aliud quoque ferrum attrahere possit,  
quia benè notandum est, quòd quamvis ferri meatus po-  
ris magnetis ferè similes sint, obstare tamen quasdam  
prominentias in illis, quæ primo accessu materiæ stratæ  
liberiorem transitum parum retardant, donec impetu suo  
cum torrentis instar ferrum ingredi conetur ramenta illa  
aliter inflectat, eaque sic disponat, ut inoffenso pede pro-  
gredi possit, unde ipsum ferrum nunc quantū ad vim ma-  
gneticam attinet, in magnetem conversum similem vim  
magneticam in aliud ferrum exercere poterit.

XIX. Cùm autem ferrum ferro junctū immediatiū  
secundū superficiem illud contingat, quam si magnes  
ferro conjungatur, cuius meatus non in omnibus cū ferri  
meatibus congruunt, propter corpuscula saxeа quæ ferrea  
ramenta ut Thesi 4. dictum interjacent, facile dari potest  
ratio, quare magnes armatus plus ferri sustineat quām nu-  
dus, quod ipsa confirmat experientia. Quia scilicet laminæ  
ferreæ pori, qua vestitus est magnes, aptissimè congruunt  
cum meatibus ferri ipsi appensi, hinc particulæ striatæ o-  
mnem aërem intermedium expellunt, efficiuntque cor-  
pora hæc magnetica, ut difficillime disjungi possint, nullo  
enim glutine duo corpora melius ad invicem alligari  
possunt, quām immediato contactu vid. CARTESIUM  
in Princip. Philos. l. 4. p. 205.

XX. Enim verò quem non subit admiratio, quòd ve-  
teres hoc in argumento usq; adeò hallucinati sint, ut ne va-  
pores quidem admiserint, ad quos cæteroquin tam facile  
provocarunt, prout in explicandis corporis humani phœ-  
nomenis videre est. Scire utiq; debuissent, nihil hic præter  
motum localem observari, ad quem producendū necessa-  
rio

rō aliquid ē magnete egredi debere; neq; difficilē fuisse  
 efflavia illa animadvertere, si modo rem ipsam attentiūs  
 considerassent. Si enim quis limaturam ferri imponat volas  
 manus, postmodum verò magnetem propius admoveat,  
 cumque hinc inde supra limaturam in certa distantia cir-  
 cunducat, manifesto deprehendet in manus sensum levio-  
 ris auræ vel frigoris, dum à vaporibus vel effluviis ramenta  
 ferrea commoventur. Porrò si cultri magneti probe affri-  
 eti cuspide pendulam sustineas acum, eamq; magneti ad-  
 moveas, quamprimum hæc sphæram activitatis magne-  
 ticæ intrabit, novis jucundo spectaculo incipiet agitari  
 motibus, haut secus quām fragmenta chartæ calidiori for-  
 naci admota impelli & in gyrum agi videmus. Addo etiā  
 hoc quod si pyxidem magnetica acu instructā mensæ ap-  
 ponas, magnetem autē circumducas, ipsam acū super suo  
 versorio in circulum moveri: Quæ omnia evidentissimū  
 exhibent argumentum, quid vaporosi ( liceat ad mentem  
 veterum ita loqui ) magnetem circumfluere & volatiles  
 particulas ab eodem continuo exspirari, quibus motus illi  
 locales accepti potius ferendi sint, quām inexplicabili  
 virtuti attractrici, quæ corporibus naturalibus non inest  
 nec inesse potest, omnes enim attractiones sūt impulsione  
 effectus, ut in plaustro ab equis attracto, & aqua siphonem  
 ingrediente aliisque variis motibus videre est. Egregiè ho-  
 rum effluviorum existentiā suadere satagit DUHAMEL  
 his verbis: Ecce duos magnetes! Scobs ferrea circa alterum magne-  
 tem temerè effusa se in modum vorticū componit. Quid illam  
 scobem tam apte disposuit, nisi striata materia jugiter à terra dima-  
 nans, quæ magnetis fibrarum ductus sequitur, & per unum fibræ  
 osculum egressa, per alterum regredi affectat. Neq; hic tractione sed  
 magis impulsu opus est. Jam polum ejusdem magnetis Borealem  
 eadem scobe chalibea obduco: qua tanquam acicularum congeries  
 illi

alli ad perpendicularum insitit. Huic alterius magnetis consimilem polum admovere; viden' ut scobem instar follis, aut vehementioris venti difflet ac separet; sed australi polo alterius magnetis admoto, scobs eadem contrahitur, & quasi amicum polum complecti gestit: tum striatam materiam ultro excipit, quam prius repellebat: Hac Jane fieri nequeunt citra aliquem impulsū vel corpusculorum effluvium, nec sola alteratione aut occultis qualitatibus perficiuntur.

**XXI.** Certam etiam pororum dispositionem concurre ad magneticam virtutem exserendam nemo inficiabitur, si ad animum revocet, quod magnes in pulverem contusus omnem suam vim amittat, & quod integer etiā ignis torturæ expositus omni sua virtute non facilè revocabili exuatur, quodeo fit, quia pori nativi tam per conulsionem quam per ignis actionem destruantur & ita pervertantur, ut pristinam materiam subtilissimam non amplius transmittere possint, hinc sublata causa circumulsionis & inclinationis sive directionis, cessabunt ipsis etiam effectus. Magnam profecto vim obtinet ignis in corporis alicujus textura immutanda, si enim baculus ligneus igni apponatur brevi incurvatur, quod ejus partes alium situm acquirant, probatur etiam hæc appropriata pororum dispositio ex eo, quod magnes pinguedine illinitus vel rubigine exesus, itidem castretur: dum scilicet in priori statu pori obstruuntur, & exspiratio sufflaminatur; in posteriori autem polorum pori sive orificia meatuum destruuntur, ut ipse magnes in his extremitatibus aliā faciem acquirat.

Tantum.